Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Ivridica Inavgvralis, De Femina Mercatrice, Inprimis Secvndvm Ivs Lvbecense Considerata

Rostochii: Litteris Io. Iac. Adleri, [1741]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0001
DFG

K. K — 2 (8.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0002
DFG

1, Zollii diss: exhibens decadem selectarum conclusionum juris.
2, . . . diss: complectens trigam decisionum juris singularium.
3, Wedderkop diss: de moratoria praescriptione.
4, Wildvogel diss: de differentia consensus sponsalitii et matrimonialis.
5a Brunnemann diss: de venditione facta ad corpus et ad mensura.
5b diss: de renunciationibus.
6, Eichelii diss: de modo ejusque a titulo in rerum acquisitione differentiis.
7, Eiben diss: de autoritate usuque juris Justinianei in Germaniae privatarum publicarumque causarum judiciis.
8, Ludekingii diss: de jure retentionis.
9, ... diss: de via facti privatis permissa.
10, Radovii diss: de instrumentis.
11, ... expositio analytica Leg: VI. Cod: Quor: appellat: non recip:
12, ... diss: de actione redhibitoria.
13, Beieri diss: de regressu indemnitatis.
14, Berger diss: de jure rerum pertinentium.
15, Carocii diss: de investigando definiendaque statu causae forensis.
16, Cocceji diss: de usu et differentia hodierna pactorum et stipulationum.
17, ... diss: de diversitate rescindentis.
18, Eckalts diss: de quinquennalibus induciis.
19, a Ludewig diss: de differentiis juris romani et Germanici in dote et donatione propter nuptias.
20, Lyncker diss: de eo, quod justum est in aresto forensis sive extranei.

21, Mantzel diss: de jure praelationis pecuniae sine usuris creditae.
22, . . . diss: de femina mercatrice.
23, . . . diss: de duobus vel tribus viris honestis in hypothecis, intimationibus et appellationibus subsidiariis adhibendis.
24, Schmidt diss: de vindicatione rerum pupillarium, omni casu ad quinquennium restricta.
25, Schnaderbach diss: de respectu parentelae.
26, Schaeffer diss: de partu octomestri.
27, Sibrand diss: de lege fundamentali.
28, . . . diss: de juramenti relaxatione.
29, Stevogl diss: de praecognitis juris.
30, Stauchii diss: de condictione rei furtivae.
31. . . . . diss: de competentia fori.
32, ... diss: de tempore.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0004
DFG

Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,

DE

FEMINA MERCATRICE,

INPRIMIS

SECVNDVM IVS LVBECENSE

CONSIDERATA,

QVAM

DEO CLEMENTER ASSISTENTE,

EX DECRETO

INCLYTI IVRISCONSVLTORVM ORDINIS,

IN ILLVSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI,

PRAESIDE

DN. ERN. IO. FRID. Mantzeln,

PHILOSOPH. ET IVR. DOCT. ATQVE PROF. ORD.

FACVLT. IVRID. DECANO,

DN. FAVTORE AC PROMOTORE SVO MAXIME COLENDO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQ. IVRE HONORES RITE IMPETRANDI,

ANNO MDCCXLI. DIE XVI. NOVEMBR.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET,

AVG. CHRISTIAN. TONNAGEL,

MECKLENBVRG.

IVRIVM CANDIDATVS.

ROSTOCHII, LITTERIS IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC.

ET ACAD. TYPOGRAPHI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0005

DFG



I. N. I.

INGRESSVS.

Dissertationem inauguralem, iussu AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE IN HAC ILLVSTRI ACADEMIA ROSTOCHIENSI conscripturus, de FEMINA MERCATRICE, tanquam materia quadam utili, meditari constitueram: Posteaquam autem vidi, iam alios huic rei manus admovisse, operæ pretium esse duxi, horum scripta antea perlustrare, ne actum agerem, aut crambem bis coctam apponerem. Duo potissimum scripta huius argumenti mihi innotuerunt: Alterum, quod celebris ille Argentoratensium Antecessor, Io. REBHAN, Præses, & PAVLVS GAMBS, Respondens, postea Cameræ Imperialis Procurator dexterrimus, jam dudum, nimirum anno 39. superioris seculi, cum orbe literato communicarunt, sub titulo: *Hypotyposis & summaria delineatio quæstionis, quæ uxor mercatrix, eine Kram- oder Marckt-Frau sit & proprie dicatur*; Alterum vero, quod IAC. FRID. SCHILLING, & Præses PETRVS SCHVLTZ, *I. V. D. & Prof. Francofurt. celeber.* 1694. *de femina mercatrice* inscriptum, publici iuris fe-

cere. Illi quidem in sola descriptione uxoris mercatricis subsistunt; hi vero satis copiose in tribus capitibus agunt, de femina mercatrice in genere, de eiusdem contractibus atque delictis. Sed uti horum plurima non tantum & speciatim in feminam mercatricem, sed simul etiam in virum mercatorem quadrant, e. gr. *de signo mercatorum, de eius effectu, de requisitis signaturæ, de constituto, novatione, expromissione, societate & integrum caput de delictis*; sic e contrario plura quæ ad negotiatricem, qua talem, principaliter spectant, desiderantur. Quibus ita cognitis atque perspectis, necessum non esse vidi, consilium mutare in totum, sed in tantum, ut iis, quæ proprie huc non spectant, verum utrique sexui circa mercaturam communia sunt, obiter & in transitu tantum consideratis, reliqua saltem, quæ ad feminam mercatricem magis accedunt, in medium proferrem, hac lege, ut in allegatis dissertationibus iam dicta, quoties horum commemorationem nihilominus rei connexio postularet, paucis saltem attingerem, id quod facta collatione B. L. facile constabit: videbit enim ea, quæ adhuc deerant, scitu tamen jucunda immo maxime necessaria ex parte videbantur, potissimum ex Jure Lubec. aliorumque locorum statutis, tanquam non plane inutili aliquo spicilegio exhibita. Ne autem ambitus verborum molestiam crearet, sed oculis animisque statim pateret, quæ quovis loco tractarentur, ubique generales theses præmittendas illasque subiectis illustrationibus ulterius dilucidandas esse censui. Præter hoc inserviendi studium & animi ingenuitatem nihil promittere valeo; rogo vero, ut Candidus Lector hunc qualemcunque laborem æqui bonique consulat.

THES.



THESIS I.

Salus populi ſuprema lex eſt : bonus igitur civis civitatis ſuæ commodum ante omnia, pro virili, augere contendat.

I. Non bene ac beate vivere poſſunt homines in ſocietate civili, niſi in commune & publicum ante omnia omnes conſulere & felicitatem publicam promovere ſuſcipiant. Hunc finem civitatis nemo non pro viribus adjuvabit, qui utile civitatis membrum audire cupit. E Ciceronis ſententia vir bonus non eſt, qui, quæcunque agit, ad ſuum commodum unice refert: quomodo bonus civis erit, qui ad ſalutem civitatis aliquid conferre nec vult, nec poteſt; ſed omnia, quæ lucratur, ſibi ſoli retinere non erubeſcit? Huiusmodi peruerſum lucri ſtudium admodum pernicioſum & minime in civitate ferendum eſt. Socii ejus, communis boni vinculo conjuncti, ſuam ſuorumque proſperitatem atque tuitionem huic unioni maxime debent. Hinc æquum eſt, ut ſuum pro parte quisque in commune conferre, omniumque ſaluti inprimis conſulere ſtudeat : Aliis enim inſerviendo conſumi glorioſum omnino eſt, & viros non ſibi, ſed aliis, viventes, κοινὸν ἀγαθὸν, ſive commune bonum, appellare ſolemus.

Thes. II.

Magna utilitas e commerciorum flore in rempublicam redundat.

I. Ne longus ſim in colligendis hujus argumenti probationibus, nihil hic dicam de commerciorum in orbe corrupto neceſſitate, ſine quibus homo ceteris animalibus longe deterioris conditionis eſſet; nec de æterna providentia, alias nunquam ſatis admiranda, quæ mutua rerum in diverſis orbis terrarum partibus egeſtate & copia vinculum aliquod neceſſarium inter homines nectere eosque altero alterius ope indigente, eo magis ſociabiles reddere & ad mutuam amicitiam ineundam atque colendam quaſi invitare voluit. Sed ſpecialiora aggredior.

II. Nemo ignorat, omnes civitates, quæ olim magnis opibus rerumque geſtarum gloria floruerunt, hodieque florent, maximam partem per commerciorum frequentiam ad ſummum illud felicitatis & potentiæ faſtigium evectas fuiſſe. Quam vehementer Rebuspublicis interſit, ut commercia proſpere ſuccedant, colligere licet, e pactis commerciorum, vulgo: *Commercien-Tractaten*, quæ hodie inter gentes ſummo ſtudio ac labore ineuntur; probant hoc in longinquis regionibus haud ita pridem conſtituta collegia, quibus negotiationum, ut ajunt, cura unice demandata eſt: probant tot fabricarum atque officinarum ædificia noviſſime paſſim extructa, in quibus ſimplicia & nondum efformata artifice manu quæſtui adaptantur. Sed hæc forſitan nimis longe petita ſunt, quam ut hic locum inveniant. Hoc ſolummodo evincam: In omni civitate, ubi commercia florent, major invenitur rerum copia; ubi rerum copia, ibi major vitæ commoditas; ubi hæc, ibi major hominum multitudo; ubi hominum multitudo, ibi major artium exercitatio, major ingeniorum foecunditas, major res novas inveniendi ſubtilitas. Paucis

cis: ubi commercia florent, ibi cives bene & feliciter vitam degunt, publicum ærarium e vectigalibus locupletatur, civitas opibus & magnitudine crescit, inclarescit.

III. Minime autem silentio praetereundum est, quod singulari Dei providentia duae inprimis res maximi momenti occasione commerciorum per universum orbem propagatae sint, & adhuc hodiè latius propagentur, nimirum Christiana Religio & multarum scientiarum artiumque cognitio. Sic, unicum exemplum ut addam, Lubecenses mercatores ad Livonos commeantes, teste BANGERTO, primum occasionem dederunt, ut Evangelica Lux Livoniam illuminaret. Astronomiam vero, Geographiam, Medicinam, aliasque scientias & artes magna incrementa inde cepisse neminem latet. Non solum maximas Batavorum divitias, sed & religionis libertatem mercaturae adscribit SCHOOK. *in Belg. Foed. l. 5. c. 8.*

THES. III.

Mercatura honestè instituta res valde laudabilis & nemini dedecori est, in Republica tamen merito speciali ciuium ordini vindicatur.

I). Vt honestè quis eam instituat, suscipienda erit, non eo animo, ut magnis opibus, per fas & nefas undique corrasis, citò ditescere, ac inde luxoriosè vivere liceat: hoc omnino vituperabile vitium esset, non in mercatura, sed potius in mercatore quaerendum. Sed ita instituenda est, ut primum respiciatur ad publicum commodum, aliorumque indigentiae consulatur; lucrum vero, tanquam laboris atque periculi suscepti praemium, non nisi justum ad sustentandam vitam atque familiam accipiatur: Tum ut merces probae & maximè necessariae inferantur, nec exportentur, quibus ciuitas carere nequit. *Vid. tit. C. quae res export. non deb.* Postea ne quicquam agatur,

quod monopolium ſapiat, & in rei frumentariae alimentorumque difficultate populum affligat, & ejus odium excitet. Conf. Criminaliſtae de crimine annonae & dardanariatus agentes, in ſpecie B. STRYKIVS & ab illo crimine Joſephum, Aegyptium proviſorem, defendens, *Excel.* KRESSIVS.

II). Cum haec ita obſervantur, *mercatura magna & copioſa imprimis, multa undique apportans*, ut cum Cicerone loquar, *multiſque ſine vanitate impartiens videtur jure optimo poſſe laudari* OFFIC. *l.* 1. Idem affirmat JAC. SAVARIVS *dans le parfait Negociant, ch.* 42. *quod in mercatura magnaria nil niſi honeſtum & praeclarum inveniatur.* Eandem igitur apud omnes Gentes, barbaras aeque ac moratiores, in ſumma laude eſſe, nemo eſt qui ignorat. De Anglis Auctor *des Lettres Juives*, epiſtola 134. ita ſcribit: *Les Anglois n' ont point eu la ſotte vanitè d'avilir le commerce. Un Negociant chez eux eſt un homme qui tient un rang diſtingué & qui ſait en acquerant des richeſſes en procurer à ſa patrie. On trouve communement dans ce païs des fils des Chevaliers, qui commercent: & il eſt arrivé même quelquefois, que des Lords n' ont pas crû qui fut honteux à leurs freres & à leurs Enfans de devenir Negocians.*

III). Inde autem, quod hodie commerciorum pertractatio plerumque ciuitatibus vindicetur, Nobiles autem & in magno dignitatis gradu collocati noſtris moribus ac ſtatutis eandem haud promiſcue exercent, non opus eſt fingere, ac ſi negotiationibus illiberale quid adhaereat, uti veteres Romani id ſibi perſuadebant; ſed adſunt iſtius prohibitionis rationes politicae, quas partim afferunt Imperatores HONOR. & THEOD. *in l.* 3. *C. de commerc. & mercat,* partim quoque eas ex variis regionum conſtitutionibus & ſtatutis videre licet. Verum, ne ſpecialiora promittens nimis generalia tractem, hanc quaeſtionem illuſtrem, ſatis etiam agitatam, tantum in tranſitu tangere volui.

THES. IV

THES. IV.

Exercitium mercaturae Jure Gentium & Communi omnibus liberum, hodie tamen per ſtatuta ſpecialia non cuivis in civitate promiſcuè conceditur.

I). Recte & belle Poëta:

Non omnis fert omnia tellus,
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei foetus alibi atque injuſſa vireſcunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabaei.

Vrgente igitur ſummo neceſſitatis telo & maxima utilitatis incitamento Gentes commercia introduxerunt, quibus alterius inopia alterius abundantia mutuò ſublevatur, quae ut eo liberius excerceri poſſent, neceſſe erat, omnibus eorum poteſtatem concedere. Hiſce veſtigiis inſiſtit Jus Civile Romanorum, quod liberam non ſolum ſuis civibus inter ſe, ſed etiam cum exteris, & his rurſus cum illis, negotiationem eſſe jubet. *l. 3. ff. de off. Praef. & l. 2. C. de commerc.*

II). Interim tamen non abs re erat, hanc promiſcuam negotiandi libertatem ſuperiorum directioni ſubjicere, ut publicè priuatimque prodeſſet. Propterea hanc indeterminatam licentiam quodammodo reſtrinxerunt ſtatuta diuerſorum locorum. Inprimis quoque Jus Lubec. non ſine cauſa ſanxit, ne exteris, niſi à civibus emere, civibus etiam vendere, illis autem cum aliis peregrinis in civitate contrahere haud liceat. *A. 7. t. 6. l. 3.*. Cujus prohibitionis rationes MEVIVS *ad h. a. n. 1. & 2.* ſequentes ſuppeditat, nempe: *Praecipua civium cura eſſe debet, ut ditescant, & cum onera & incommoda civitatis ferant, in compenſationem quoque, cum excluſione extraneorum, fruantur commodis.* Deinde non omnibus, qui hujus Reipublicae cives

ves audiunt, ſtatim quaeſtus gratia mercari licet, ſed hoc mercatorum collegiis tantum reſervatum. Reliqui autem, qui illis adſcripti non inveniuntur, artes autem manuarias vel opificia exercent, a mercatura arcentur. Simili modo zythopoei plus hordei ac lupuli emere vetantur, quam quibus ad coquendam cereviſiam illis opus eſt, prouti cautum *in der Lübiſchen Kauffmanns-Ordnung de an* 1607. quam quoad hunc paſſum videſis apud MARQVARD. *de Jure Mercat. l.* 1. *c.* 7. *n.* 49. Teſtantur & volunt idem multorum emporiorum ſtatuta, quae partim appellantur civiloquia, *Bürger-Sprachen* e. gr. Roſtochienſia, ab Excell. Praeſide ſuppeditata, ita habent: *Vort mehr bede wy, dat Gaſt mit Gaſt nich kopen ſchall unde neen Bôrger mit Gaſtes Penninge.*

III.) De prohibitione mercaturae quoad certas perſonas in genere ſciendum eſt, quod ea tantum de lucratiua, non autem de oeconomica intelligi debeat: cuique n. patrifamilias, quibus ad familiae ſuae ſuſtentationem indiget, emendi, quibus vero abundat, libera vendendi poteſtas eſt. Catalogum vero earum perſonarum, quibus mercatura interdicitur, quales ſunt: Clerici, milites, impuberes, &c. & rerum, quae mercis appellatione non veniunt, & quae commercio exemta ſunt, exhibet STRACCH. *in tr. de merc. p.* 3. *&* 4.

Thes. V.

Feminis tam Jure Gentium, quam Civili Romanorum, & plurium populorum moribus & ſtatutis, mercaturam exercendi facultas conceditur.

I.) Cum Jure Gentium commercia introducta ſint, illud autem nullam diſtinctionem inter mares & feminas hac in re fecerit, nullum eſt dubium, quin femina aeque ac masculus hoc jure mercandi uti & negotiandi curam ſuſcipere poſſit. Sed demirandum eſt, hoc naturalis libertatis

tatis ac ſtatus aequalitatis ſimulacrum apud omnes fere Gentes ſexui femineo huc usque intactum remanſiſſe, cui plerumque omnem prudentiam, conſtantiam & quorumvis negotiorum gerendorum habilitatem abjudicare volunt. Taceo turpem Platonis dubitationem, elegantiori ſexui injuriam, & cum GEDICCO viperas ſibilare jubeo: Et quis non deteſtatur minus ſobriam Theologiam Canonum 13 & 19. *Cauſ.* 33. *qu.* 5. In foro mercatorum major feminis honor & fides habetur, idque in rebus magni ponderis, ubi varia rerum intelligentia, circumſpectione atque conſilio opus eſt. Sine dubio ratio politica propter publicam utilitatem impedimenta diſſuadet, quia commercia ampliorem contrahendi facilitatem & fidem deſiderant. Non n. credendum eſt, feminis negotiandi licentiam propter ſingularem, cujus hunc ſexum arguunt tenacitatem ac loquacitatem, relinqui; quamvis *l.* 23 §. 1. *ff. de don. inter vir & uxor. l.* 16. *C. de don. ante nupt.* de mulierum aviditate loquantur, & linguae celeritas mercibus diſtrahendis inſervire poſſit, ſecundum illud: *Laudat venales, qui vult extrudere merces*, quia haec magis inter facetias referenda ſunt. Ceterum complacet elegans verborum feſtivitas, qua feminam virtutibus decoratam ſuaviter depingit, ejusque mercaturam approbare videtur Rex ille philoſophus *Prov. Cap. ult.*

II. Propius ut rem attingam, jam olim mulieres ad commercia pertractanda admiſſas fuiſſe, etiam veſtigia in S. Codice extant, ubi Purpurariae cujusdam civitatis Thyatirenorum mentio injicitur. *Act.* 16. *v.* 14. Idem mulierum privilegium uſu obtinuiſſe apud Aegyptios, Hiſpanos, Gallos & Batavos, hodieque obtinere, aliorum teſtimoniis probat SCHVLTZE, *diſp. de fem. mercatr.* C. 1. §. 18. De Jure Civili conſtat, nullam in eo inveniri hujus libertatis prohibitionem, è contrario leges potius loquuntur de feminarum commercio tanquam de re nota & licita *l.* 32. §. 4. *ff. de auro & arg. l.* 7. §. 1. *l.* 8. *ff. de inſt. act*

l. 2.

l. 11. *ff. ad SCt. Vellej.* Fuerunt tamen quos lex *pen. ff. de edend.* eo induxit, ut crederent, feminis apud Romanos negotiari non licuisse, quorum opinionem etiam sequutus COVRAS. STRACCHA *& alii.* Sed agit lex illa de Argentariis, quorum officio, tanquam munere publico, excludebantur feminae, id quod nihil ad mercaturam attinet.

III). Hodie apud multas Gentes & praecipuè in Hollandia ejus industriae se probarunt mulieres, ut quaevis fere mercimonia tractent, uti testatur RODENBVRG *in tr. de jure conjug. ubi p.* 212. ita scribit: *Verum post commerciis atque opibus accrescentibus passim mulieribus quaevis ferè mercimonia tractandi libertas data est, nec id quidem dispendio virorum, quibus saepe per otium atque ignaviam aetatem agentibus quaestum uxores uberrimum tanquam aureum imbrem in sinum effundunt.* Alia variorum locorum Statuta, quae mulierum negotiationes comprobant, nimirum: Antwerp. Gall. Burbon. Burgund. Bituric. Andegav. Coenoman. Arvern. enumerat LAVTERB. *in disp. de jure in cur. merc. usitato.*

IV). Accedo ad Germaniam, in qua teste GAILIO nihil frequentius, *als daß ein Weib im offenen Kramladen sitzet.* Videri hoc licet in omnibus ciuitatibus, quia mores & consuetudines ferè ubique hoc ita ferunt, quibus statuta plerumque accedunt, quae omnia hic recensere nimis longum foret. Proxime nos tangit Constitutio Saxonica: *Ob und wie die Weibs-Personen beständiglich contrahiren können*, qua ipsis sine curatore contrahendi facultas confirmatur, circa finem in verbis: *Wie denn auch den Wittwen &c. und insonderheit den Weibs-Personen, so zu handthieren pflegen mit kauffen und verkauffen, in den Krahmen und andern dergleichen Waaren ohne Vormunden beständig und verbindlich zu schliessen und zu handeln hiemit unbenommen seyn soll.* Non minus quoque Jus Lub. feminarum mercaturam ratam esse jubet, *L.* 3. *t.* 6. *a.* 21. ubi: *Eine Kauf-Frau, was sie kaufft, muß sie zahlen.* Cui congruit

Stat.

Stat. Hamb. p. 2. t. 8. a. 1. ibi: *Eine Frau die Kaufmanſchaft gebraucht &c. ſoll mâchtig ſeyn dasjenige ſo ſie kaufft oder verkaufft zu zahlen und liefferen.* Plura adducere non opus eſſe cenſeo.

THES. VI.

Femina Mercatrix in genere eſt femina, quae ſuo nomine, lucro & damno, mercaturam tanquam ordinarium ſuum vitae genus legitime ſuſcipit, eamque publicè vel ſola, vel ut ſocia, exercet.

1). Vox femina, utrum a femore aut femine derivanda, & per e aut oe ſcribenda ſit, Grammatici diſcutiant. Significationem quod attinet, conſtat, eam nihil aliud hic denotare, quam perſonam eius ſexus, quem Deus in gratiam primi hominis creavit, nuptam atque innuptam. Mercatrix vero & mercator ſine dubio â merce nomen habent, adeo, ut ementes & vendentes ſervos vel aliud quid, quod mercis nomine non continetur, non mercatores, ſed mangones & venalitiarii dicantur. *L. 207. ff. de verb. ſign. l. 57. ff. mand.* Germanicè in his oris Mercatrix dicitur: *Eine Kauff-oder Handels-Frau.* Haec differt in totum 1). â mercotoris uxore, *von einer Kauffmanns-Frau*, uti jam notavit Dn. BESELIN *in diſſ. ſub praeſidio* Dn. Praeſ. hab. *de legit. collat. Jur. Lub.* §. 5. Interdum tamen mercatoris uxor abuſive etiam appellatur mercatrix, *eine Kauf-Frau*, nam inuſitata non eſt apud nos hujusmodi generalis & plebeia loquendi ratio, qua conjux a dignitate vel arte mariti denominatur, cujus rei exempla quotidie obvia exhibet LAVTERB. *in d. diſſert.* §. 41. Sed talis uxor ideo non ſtatim mercatrix fit, quod mercatori nupſit, aut etiam marito in uno vel altero negotiationis actu obſequiales operas praeſtat, aut, quando ille abſens, vel peregrè profectus vel aegrotus eſt, commerciorum curam eius nomine gerit. 2) Ab In-

ſtitrice, quae vel â marito vel ab alio quodam in partem laboris adſcita, ejus mandato negotiationem adminiſtrat & praeponentem obligat. 3) Ab ea, quae ſemel aut bis emit atque vendit, animum vero non habet, hoc vitae inſtitutum ſequendi. Quodſi autem ea intentione merces comparavit, ut tabernam inchoaret, tunc quoad obligationis contractae firmitatem vel unicus actus ſufficit. *Confer. MEV. ad I. L. l. 3. t. 6. a. 1.*

II) Ceterum vero nihil intereſt, utrum mulier commerciis ſe immiſcens nupta an inupta ſit: Habet enim & uxor mercandi licentiam, & vel ſola & ſeparatim a rationibus mariti quaeſtuariam negotiationem exercere; vel etiam ut ſocia unà cum marito, communem mercaturam facere poteſt, quo caſu lucri & damni particeps merito mercatrix dicitur. In Gallia autem præciſe requiritur, ut uxor mercatrix ſeparatam a mariti rationibus & ab ejus mercatura diverſam negotiationem exerceat, quaeſtumque inde ſibi acquirat, per *Statut. Pariſ. a.* 235. ubi: *La femme n' eſt reputée marchande publique, pour debiter la marchandiſe, dont ſon mari ſe méle: mais eſt reputée Marchande publique quand elle fait marchandiſe ſeparée & autre que celle de ſon mari. REBH. in delin. quaeſt. quae uxor merc. §. 83.*

III. Notae characteriſticae Feminae Mercatricis in definitione inveniuntur ſequentes: 1) Vt femina ſuo nomine, vel ſola, propriam mercaturam faciat; vel 2) ut ſocia, una cum viro vel alio adſumto ſocio communem negotiationem communi nomine exerceat. 3) Vt damnum & lucrum in propria negotiatione ſola; vel, in communi, pro parte ſentiat. 4) Vt mercaturam tanquam ordinarium vitae genus ex inſtituto ſuſcipiat, ad ſui ſuorumque honeſtam ſuſtentationem. 5) Vt hoc legitimè, obſervatis cujusque loci ſtatutis & conſuetudinibus, fiat. 6) Vt actualem & frequentem mercaturam exerceat: 7) Vt publicè & palam hoc agat, ita, ut merces ad vendendum comparet, cuivis emturo venales exponat, atque iterum di-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0018
DFG

distrahat. 8) Vt merces vel ad numerum, pel pondus, vel mensuram, vel corpus s. per aversionem determinatas pro certa pecuniæ summa, vel pro aliis rebus, commutatione facta, emendo accipiat, vel vendendo tradat. Hujusmodi mulier Mercatricis nomen habet, & privilegiorum, quae Mercatoribus concessa sunt, capax & particeps Mercatorum nomine venit.

IV) Quia autem requisita Mercatricis non ubique terrarum una eademque observari solent, sed mores regionum variant, hinc generalem ejus descriptionem dare, jam alii rem difficilem esse, crediderunt; Hoc etiam negari nequit, ex illa incertitudine, quae femina proprie negotiatrix dici debeat, multas lites extitisse, quae causam praebuerunt, ut Magistratus Argentorat. in dubio hanc quaestionem suo arbitrio definiendam sibi reservaverit, sicut nos docet jam allegat. REBHAN. *in d. delin.* §. 31. Alias autem asserenti, se vel illam esse mercatricem, incumbit probatio.

Thes. VII.

Descriptio Feminæ Mercatricis ex statutario Jure Lubecensi certa ac perspicua generali delineationi supra exhibitæ quam maxime convenit.

I. Valde laudanda est Conditorum Juris Lubecens. prudentia, qui omnem ambiguitatem, quæ mulier pro negotiatrice habenda sit, sedulo præcaverunt, dum verbis perspicuis ac dilucidis hoc aperte declarant, omniaque dubia e medio tollunt, his verbis: *Eine Kauf-Frau aber ist, welche aus-und einkaufft, offene Laden und Fenster hælt, mit Gewicht, Wage, Maß und Ellen aus-und einwieget und mißet. L. 3. t. 6. a. 21.* Hic eadem requisita, quæ jam supra adducta sunt, partim continentur, partim vero ex aliis hujus Juris articulis sua sponte fluunt, quare omnia hic re-

petere & longa serie rursus ob oculos ponere supersedere possum. Inprimis hic urgetur, ut tabernas, fenestrasque apertas habeat, libra, ponderibus, mensura & ulna utatur. Quo quidem non desideratur, ut venditorum more in taberna sedens merces suas exponat, minutatimque iterum vendat, *en detail*, quod tabernariis magis congruit; sed ut merces publice venales sint, & ipsa palam vendat & negotietur. *Conf.* MEV. *ad d. art. n.* 34. Huic consentaneum est *Stat. Hamb. p.* 1. *t.* 8. *a.* 1. ubi Mulier Negotiatrix ita describitur : *Eine Frau die Kaufmannschaft gebraucht, offene Laden und Feuster hælt, mit Gewicht aus- oder einwieget und miſst, ſoll mæchtig ſeyn dasjenige ſo ſie kaufft* &c.

II. Ne autem quævis mulier pro lubitu & inconsulte mercaturæ se immiscere, & commercia magis turbare quam promouere audeat, huic malo obviam itur, quod *Jus Lub. per a.* 1. *l.* 3. *t.* 6. liberam mercaturam in civitate nemini, nisi civibus concedit, exceptis Mercatoribus peregrinis, quibus ad aliquot annos commorandi & periculum suæ fortunæ faciendæ potestas datur, de quibus agit AMPLISS. SENAT. LVBEC. *Notificatio wegen des Commercii und der Manufacturen, de Ao.* 1670. recentiori editioni Juris Lub. adjecta. Extra hunc casum necesse est, ut femina, quæ commercia tractare intendit, civitatis jure donata, vel civis cujusdam vidua aut filia sit, quo casu etiam pro cive habetur, *l.* 7. *C. de incol.* MEV. *ad d. a. n.* 12. Insuper requiritur, iis in locis, ubi certa mercatorum collegia constituta sunt, quemadmodum in multis civitatibus Germaniæ inveniuntur, ut talis femina nomen suum albo Mercatorum inseri petat, præstitis iis quæ ex usu & consuetudine præstanda veniunt : nisi sit Mercatoris vidua, *hæc enim*, ait MEV. *ad d. a. n.* 44. *tanquam imago viri ejusdem personam in viduitate etiam, quoad privilegia, dignitatem & jura repræsentans sine nova immatriculatione aut adoptione in collegium, mercaturam continuare potest*

est a marito cœptam, nisi aliud moribus locorum ex justa ratione introductum sit. Idem quoque de Mercatoris uxore, vivo marito, & filia ejus asserendum esse duco, quod sc. hujusmodi personæ nulla immatriculatione indigeant, quando illa una cum marito ut socia negotiari, hæc vero post obitum patris mercaturam continuare velit.

III. Accedit adhuc alia cautela ex Jure Statut. Lub. ut femina, quæ Mercatricis juribus ac privilegiis gaudere vult, se talem coram Senatu approbet, *L. 2. t. 1. a.* 14. Vtilissima hæc cautela hodie valde necessaria Lubecæ religiose custoditur, nec femina, licet Mercatoris vidua sit, publice Mercatrix agnoscitur, nisi probata sua industria duobus civibus fide dignis & caussa cognita publico decreto confirmata sit. Hoc magis apparet e confirmatione haud pridem impetrata, quæ ita se habet: *Auf Supplici-ren A. B. um zur Kauf-Frau declariret zu werden, hat ein Hochweiser Rath decretiret: Werden C. D. und E. F. ihr beygelegtes Attestatum von der Supplicantin Geschicklichkeit in publica audientia persœhnlich wiederholen, soll ratione des Gesuchs gewierige Erklærung erfolgen.* Ita decretum in Senatu *den.* . . Paulo post alterum Decretum insequebatur, quod ita sonat: *Vor E. Hochw. Rath der Stadt Lübeck im Gerichte ist produciret und verlesen Amplissi. Senatus Decretum extrajudiciale vom* 30. *Jun. nup. auch Krafft desselben gebeten worden A. B. seel. G. H. nachgelassene Wittwe grosgünstig zur Kauf-Frau zu declariren. Worauf E. Hochw. Rath, nachdem C. D. und E. F. beyde persœhnlich zugegen ihr vorhin schrifftlich abgegebenes Zeugniss, was massen ermeldte Impetrantin von der Capacité sey ihrem Handel und Gewerbe selbst vorzustehen, nochmahlen wiederholet, besagte Wittwe gebetener massen publico Decreto zur Kauf-Frau erklæhret und bestætiget hat.* Jussu Consulatus actum den. . .

THES.

Thes. VIII.

Tabernam mercatoriam exercens & minutatim vendens mulier, qua libertatem contrahendi & obligandi se, mercatorum jure quoque utitur, sed intra limites sui collegii subsistere cogitur.

I. Ad facilitanda negotia opus erat hujusmodi feminas eadem auctoritate & fide qua alias Mercatrices instruere, & libris earum si debita requisita habent, aliquam fidem attribuere; Sed plura privilegia Mercatorum illis non competunt, nec major negotiandi potestas conceditur, quam collegium, cui insunt, habet. Huc quodammodo etiam referri possunt istæ mulieres, quæ tabernam cauponariam, vinariam, medicinalem, librariam, &c. exercent, quæ plerumque in illis rebus & negotiis, quæ ad officinas earum pertinent, sine curatore contrahendi & sese obligandi libertatem habent. Sed de his cujusque loci consuetudines inspicere oportet.

Thes. IX.

In omnibus rebus ad mercaturam spectantibus Femina Mercatrix a conditione muliebri exemta est, & masculorum jure gaudet.

I. Mulieres apud Græcos veteresque Romanos antiquo Latiali jure virorum tutelis subfuisse, ex Livio, Cicerone, aliisque constat. In specie apud priscos Romanos hæc virilis in uxores potestas, limites humanitatis excedens, tanta erat, ut de capite conjugis cognoscendi, in eamque animadvertendi jus maritis esset. Post tempora tamen Leonis Imperatoris omnis mulierum Romanarum tutela sensim in desuetudinem abiit, adeo, ut Justiniano imperante illius nec vola nec vestigium supereresset, uti

uti demonstrat B. HEINECC. *in Synt. Antiqu. Rom. l.* 1. *t.* 13. Pari modo apud veteres Germanos mulieres maritorum potestati ad vitæ necisque arbitrium usque subjectas fuisse, auctor est Cæsar, & argumenta sunt tradita apud Tacitum, quæque ibid. annotavit Lipsius. Quæ quidem nimia potestas paulatim remissa est, interim tamen remansit perpetua tutela, qua mulieres pro diverso statu in mundio parentum, vel maritorum, vel aliorum Mundwaldorum sive Mundiburdorum erant, quemadmodum laudatus *Auctor* tradit *in Element. Jur. Germ. l.* 1. §. 132. & 357.

II. Subsistit adhuc hodie hæc perpetua mulierum tutela in illis Germaniæ locis, ubi Jus R. eam non abrogavit: nam ex eo tempore quo patria jura ex receptione Juris R. perturbata fuerunt, hæc feminarum tutela in nonnullis locis plane obsolere, in aliis vero, uti in Saxonia, in curatelam mutari cœpit; nisi quod Lubecæ, Hamburgi & in paucis forsitan aliis locis antiquam sedem adhuc retinuisse videatur. De universo fere Belgio HEINECC. idem affirmat, citatque alios, *d. l.* §. 357. Sed hæc ejus sententia, qua innuptas, hodie fallit, uti nos docet RODENB. *in prælim. tr. de jure conj.* §. 11. his verbis: *Sane apud Hollandos nostrosque Vltrajectinos non ita pridem id juris, (scilic. ut nullos, maxime judiciales actus, celebret mulier soluta, absque interventu tutoris ad hoc specialiter electi,) ab aula recessit, ut amplius jam necessitatis esse negetur, quamvis etiamnum formularii in conscribendis instrumentis feminis curatores adscribere consueverint.* Hoc denuo idem affirmat *p.* 179. ita: *Apud Hollandos vero, Nostrates (Vltrajectinos scil.) ac Frisios, cum nulla innuptæ indigeant auctoritate, maritorum causa jus illud obtinere statuendum est.* De Frisiis perhibet testimonium IO. *A* SANDE, *decis. Fris. l.* 2. *t.* 4. *def.* 1. & 3. de Hollandis GROT. *l.* 1. *p.* 4. *vansiin inleydinge.*

III. Quoniam vero commerciorum ratio hasce difficultates non permittit, sed præcipue brevitatis amans id solum quod naturaliter æquum est, respicit; hinc feminæ mercatrices ob publicam utilitatem & fidem, ut commercia eo magis florerent & favor mulierum nemini damno esset, per totam fere Germaniam statutis & consuetudinibus a reliquarum mulierum conditione exemtæ sunt, iisque facultas data est, intuitu mercaturæ sine curatoribus valide contrahendi, atque sese obligandi aliis, in tantum, ut ex capite læsionis non enormis, & non adhibiti curatoris, non restituantur in integrum. Omnes Constitutiones & statuta peculiaria quæ huc pertinent hic recensere velle, improbus & non adeo utilis labor esset. Sufficit ea tantum attingere, quæ proxime nos tangunt. Const. Saxon. de hac re jam supra th. 5. n. 4. adduxi. Jus Lub. quod feminis in genere omni mercatura, præter linum telamve ad usum rei domesticæ interdicit non semel ab hac conditione eximit mercatrices, ejus dispositio *lib.* 3. *t.* 6. *a.* 21. hæc est: *Eine Kauf-Frau was sie kaufft, muss sie zahlen.* Et *l.* 1. *t.* 10. *a.* 1. *Es mag keine Frau ihr Gut verkauffen noch versetzen, ohne ihrer Vormünder Vollvvort, Wissen und Willen; So mag auch keine Frau höher Bürge vverden, ohne Willen der Vormünder, denn vor drittehalb Pfenning, ausserhalb derer vvelche Kauffmanschafft, Handel und Wandel treiben, vvas dieselben geloben, das müssen sie gelten und bezahlen.* KOLLIVS habet: *Averst de so Kopenschop hebben, de sünd mæchtig, gelik alse de Menne.* Cum quo convenit *Stat. Hamb. p.* 2. *t.* 8. *a.* 1. *Eine Frau die Kaufmannschaft gebraucht &c.*

IV. Ita fere universaliter obtinet, ut feminæ mercatrices, nullo adhibito curatore, varios contractus intuitu mercaturæ inire possint. Excipiendus forsitan erit Ducatus Würtenb. Nam ex generali prohibitione Juris Provinc. *Dass keine Weibs-Persohn &c.* concludere volunt, quod nec

nec mercari consueta mulier sine curatoris vel mariti consensu contractum inire vel semet obligare queat. WIBEL. *de Contract. mul. p.* 56.

THES. X.

Femina Mercatrix plurimis in locis habet personam standi in judicio, & sine curatore agere & conveniri potest.

I. Rationem hujus asserti suppeditat MEV. *ad Jus Lub. l.* 1. *t.* 7. *a.* 8. *n.* 28., quod nempe negotiatrix, cum obligatio ejus, quæ mater actionis est, sine curatore subsistat, etiam, ne actio inanis sit, obligari & ad judicium trahi debeat. Inde etiam sequitur, quod femina mercatrix Procuratorem judicialem sine curatore constituere & ipsa Procuratrix *in judicio* esse possit, non quidem de jure sed de consuetudine, uti hoc affirmat LAVTERB. *disp. de jure in cur. merc. us.* §. 52. Jure tamen Saxonico hoc singulare occurrit, quod femina mercatrix in judicio sine curatore nec agere nec conveniri possit. CARPZOV. *Jurispr. for. p.* 2. *c.* 15. *def.* 16. Idem in Hollandia & compluribus Galliæ Provinciis, qua uxorem mercatricem obtinere, ut sc. maritus ejus nomine in judicio pulsetur, mulier autem tunc demum, si maritus eo in loco non inueniatur, refert RODENBVRG. *d. tr. l.* 2. *t.* 3. *c.* 1. §. 18.

THES. XI.

In causis mercaturæ Femina Negotiatrix minorennis, attamen pubes, non magis quam aliæ Mercatrices, curatore indiget.

I. De mercatore minori, nullum est dubium, quin in rebus ad mercaturam spectantibus efficaciter contrahendi

facultatem habeat, nec læsus ex capite minorennitatis restitutionem in integrum impetrare possit, *arg. l. 1. C. de his qui ven. aet.* Leg. omnino Excel. LEYSER. *Med. LX. n. 6. sqq.* ibique allegati Doctores & leges. Jam vero femina negotiatrix in foro mercatorio masculorum jure gaudet, & nulla prohibitio extat, qua feminæ minorenni negotiationibus se immiscere interdicitur. Hinc omnino dicendum, quod hæc eandem agendi potestatem habeat, qua mercator minor pollet, ac sic deinceps libere negotiari, aliis se obligare, in judicio agere & conveniri, jure cambiali obstringi, etiam immobilia ex causa mercaturæ hypothecæ dare, & omnia, quæ ad commercia spectant, expedire possit. In Saxonia de hac re expressis verbis ita statutum legitur, in extensione Rescripti Nundinalis, de anno 1674. ubi: *Allermassen auch die, so das ein und zwantzigste Jahr ihres Alters noch nicht erfüllet, vvenn sie eigene Handlung treiben, und sich darinn zu etvvas verbunden, dasselbe allerdings zu halten schuldig, und dagegen mit der restitutione in integrum nicht zu hören seyn.* De mercatrice uxore adhuc minorenni idem affirmat RODENB. *d. tr. p.* 342. non quidem ob hanc rationem, quod minor mulier per nuptias evadat major, sed, quod propalam mercatui operam dans, viri id agit mandato vel consensu. Extra mercaturam, si femina minor liberam rerum suarum administrationem habere desiderat, æque ac masculus juvenis veniam ætatis impetrare potest. *l. 2. §. 1. C. de his qui ven.*

Thes. XII.

Femina Mercatrix omnia illa firmiter agit, sine quibus mercatura commode exerceri nequit.

I. Nihil interest, utrum quis per se, an per alios mercaturæ curam gerat, dum institorum opera utitur, modo dirigat, & aliqua saltem ratione concurrat: Ideoque negotia-

gotiatrix etiam per alios commercia tractare & nihilominus mercatricis nomen gerere poterit. Præterea intuitu mercaturæ mutuum contrahere, immobilia oppignorare, litterarum obligationibus subscribere, litteras cambiales dare, acceptare, & omnia illa efficaciter expedire potest, quæ ad mercaturam pertinent. De quibus infra pluribus agendum.

Thes. XIII.

Extra causam commerciorum Femina Mercatrix regulariter nulla praerogativa gaudet, sed communem mulierum sortem subit.

I). Quemadmodum feminae mercatrici laxior agendi potestas contrahendique data est, ob majorem commerciorum ubertatem & stabilitatem fidei mercatoriae, in qua omnis hujus rei cardo vertitur: ita e contrario, cessante hac causa, cessat quoque effectus, neque haec mulieris potestas ultra fines commercii extenditur. Quodsi illa nihilominus cancellos egredi atque aliquid agere velit, quod alias curatoris consensum desiderat; tunc illa actio, in locis, ubi curatela mulierum adhuc obtinet, irrita atque inanis est & nullum inde jus vel obligatio oritur. Nihil igitur agebat mulier mercatrix, uti observavit MEV. *ad J. L. l.* 1. *t.* 10. *a.* 1. *n.* 79. quae cautionem de judicio sisti & judicatum solvi pro aliquo suscipere, & pro conductore fundi fidejubere volebat. Sic in Hollandia, quicquid uxor Mercatrix, fines negotiationis excedens, gesserit, id maritum non obligat. RODENB. *d. tr. p.* 213. In dubio autem ex causa negotiationis contractum versumque in ipsam mercaturam praesumitur. STRACH. *in tr. quom. in caus. merc. p.* 1. *n.* 41.

II). Simili modo mater vidua, utut mercatrix sit, tutelam

 suo-

ſuorum liberorum gerere non poteſt, in iis locis, ubi aliis mulieribus id non licet. Equidem Jus Civile matrem & aviam ad liberorum ſuorum tutelam non ſolum admittit, modo juri ſuo & ſecundis nuptiis renuncient; ſed & aliis cognatis, ob praeſumtam ſingularem pietatem, præfert, cum alias mulieres hoc jure a virorum officiis, quo etiam tutela pertinet, excluduntur. Nihilominus tamen noſtris moribus femina ex ſola hac ratione, quod mercatrix ſit, liberorum tutelam ſibi arrogare non poteſt, ſi hoc in regula illi non licet. Neque minus de femina mercatrice ſecundum Jus Lub. dicendum eſt, quod in contrahendis nuptiis aeque ac alia femina, quae mercatrix non eſt, cognatorum conſilium adhibere teneatur.

III) Nulla etiam femina mercatrix Lubecæ ſine curatore libro publico civitatis aliquid inſcribi vel deleri in eo curare poteſt, ſed actus eo ſpectantes praeſente curatore expedire jubetur, *in append. II. der Ordnung des Obern-Stadtbuchs*, recentiori editioni Jur. Lub. adjecta, ubi ita ſtatuitur: *Daſz die Declarationes der Kauf-Frauen und die Macht, die ihnen dadurch gegeben wird, nicht auf das Obere-Stadt-Buch, ſondern allein auf ihren Kaufhandel gemeinet ſey.* Eodem modo talis femina Hamburgi circa res ſuas in Banco nihil diſponere valet absque curatore, nec procurator ejus ibi admittitur, niſi mandato etiam a curatore ſubſcripto inſtructus veniat, quod forſitan ob majorem ſecuritatem, cum ipſa Reſp. pro Banco obligata ſit, ita requiritur.

Thes. XIV.

Quicquid uxor mercatrix ſola ſua negotiatione & pecunia ſtante matrimonio lucratur, in iis locis, ubi communio bonorum inter conjuges obtinet, non ſibi, ſed marito acquirit, & mariti creditoribus id emolu-

emolumento est, nisi pactis dotalibus statim ab initio aliter cautum sit.

I) De Jure Civili omnia durante matrimonio per uxorem acquisita, in dubio quaesita praesumuntur ex bonis mariti, cui etiam lucro cedunt, & hoc evitandi turpis quaestus gratia, uti loquitur *l.* 51. *ff. de don. inter vir. & ux.* Cessat autem haec turpis lucri suspicio, si mulier est mercatrix, tunc enim ex industria sua quaesivisse praesumitur. MYNS. *obs.* 92. *Cent.* 2. *n.* 8. & tali casu, de Jure Civili & Consuetudinibus quorundum locorum, lucrum, quod uxor sua industria, periculo & sumtibus fecit, illi soli, excluso marito, deferunt, ALCIAT. MASCARD. PRVCKM. GAIL. & *alii*, quibus etiam adstipulatur LAVTERB. *in disp. de jure in curia mercat. us.* §. 51. Sed tamen aliud in praxi obtinere testantur GAIL. MEV. MYNS. BERLICH. & alii, sine dubio in illis locis, ubi communio bonorum inter conjuges introducta est.

II) Quoad Jus Saxonicum, quod non tantum dotis, sed & ceterarum a muliere illatarum fructus marito tribuit, nec distinguit, an dotalia, an paraphernalia illa fuerint, idem obtinere affirmat CARPZ. *in Jurispr. For. p.* 3. *C.* 25. *def.* 10. Et quidem propter regulam generalem, quod omnia, quae constante matrimonio, licet industria ac opera uxoris, acquisita sint, ad maritum pertineant. Nihil quoque impedit quod uxor ad operas tantum officiales & obsequiales, non vero ad artificiales, qualis est mercatura, obligata sit: Nam licet ad has cogi non possit, si tamen sponte eas suscipit, & nihil aliud expressa conventione sibi stipulatur, tunc omnia inde quaesita communi societati comparare voluisse praesumitur.

III) Secundum Jus Lub. res aliquid dubii habere videtur. Nolo hic multis adducere memorabilem controversiam Coth-

Cothmannum inter & Steinwigium occasione hujus rei ortam, quam MEVIVS *ad J. L. l. 2. t. 2. a. 12.* perquam diligenter recenset. Alia quaedam ibi nondum pertractata dubia moveri possent, nimirum 1) Quod illa regula Juris Civilis: omnia bona constante matrimonio acquisita ad solum maritum pertinent, merito exulare debeat, quando certum est, cujus industria & pecunia acquisitio facta sit. 2) Quod bona constante matrimonio acquisita in locis, ubi communio bonorum connubialis obtinet, nec solius mariti sed potius ex natura communionis communia reputanda sint. 3) Quod in communione bonorum conjugali non omnia bona, sed tantum ea, quae actu in communionem illata sunt, communia fiant, uxor autem multa alia sibi reservare possit, nisi per statuta expresse aliter cautum. Sic Hamburgi statutum: *daß nicht allein der Frauen eingebrachter Brautschatz, sondern auch alle andere ihre in stehender Ehe angeerbte Güter vor ihres Mannes Schulde gântzlich haften und gehalten seyn sollen.* 4) Quod femina mercatrix de bonis sua industria per mercaturam quaesitis cum consensu curatoris & propinquorum testari possit, &c. Verum quia nihil de hac re in statuto nostro dispositum, merito generalis regula & consuetudo praevalet, quod omne lucrum constante matrimonio ab uxore, etiam mediante negotiatione, quaesitum, ad maritum pertineat, ejusque debitoribus, casu existente, emolumento cedat. Durum hoc est, & quidem eo magis, quia maritus ex contractu suae uxoris mercatricis non adstringitur, nisi ejus permissu & nomine mercaturam faciat, & sic commodum ille, incommodum sola uxor habet: Quia autem statutum nihil aliud disponit, nec nos aliud dicere debemus. Interim tamen legi merentur quae laudatus Mevius *d. l. n.* 143. aequo judici commendat, sc. *rem ex aequitate ita moderari, ne mulier ejusve libri ex primo matrimonio sui sudoris fructu orbentur, nec mariti jura plane seponantur.*

IV)

IV) Atque haec ita se habent, si pacta dotalia non interveniant: his enim consuetudini ac juri derogari posse, nemo est, qui dubitat. Conf. CARPZ. *Cent. pos. jurid. de jure fem. sing. Dec.* 1. *pos.* 3. *n.* 17. *seq.* modo hoc fiat statim ab initio, pacto enim nocere non licet iis, quibus jus inde quaesitum. *l.* 25. *C. de pact.* Vt igitur hujusmodi pacta fidem habeant, & tempus eorum aliunde, quam ex sola scriptura probari possit, caute agitur; si testes idonei ad subscribendum una adhibeantur. Hoc autem tacendum non est, quod Jura statutaria quibusdam in locis haud permittant, per hujusmodi pacta dotalia a societate bonorum conjugali recedere, nisi consensu Magistratus & praevia causae cognitione hoc fiat, potissimum quando mulieres maritorum negotiis se immiscent. Confer. Ordinatio Jud. & Proceff. Civitatis Memmingensis, quam hac in parte exhibet KEMMERICH. *in disp. de soc. bonor. conj. C.* 2. §. 25. *verbis. Was aber diejenigen Eheweiber, &c.*

THES. XV.

Feminae Mercatrici in Jure Lubecensi major de bonis suis acquisitis per donationem inter vivos disponendi facultas, quam aliis mulieribus, non conceditur.

I. De Jure Civili vir & mulier liberam de bonis suis donandi potestatem habent, tam inter vivos quam per ultimam voluntatem. Ast Jure Lub. haec donandi libertas valde restricta est. Hereditaria quod attinet, illa nemo sine heredum consensu alienare potest, sed semper in via successionis remanent: *Sie müssen beym Erbgange bleiben.* Excepto casu, quo viduae mortifere aegrotae & improli ex vestimentis aut supellectile vel acquisita, vel hereditaria, *ererbet oder ervvorben*, usque ad pretium 36. marc. Lub. mortis causa donare licet. Circa acquisita iterum

distinguitur, utrum sint mobilia an immobilia. Immobilia si mulier donare vult, necesse est, ut hoc fiat cum consensu curatorum atque heredum. Quoad mobilia iterum differentia statuitur inter viduam & aliam mulierem. Hæc, sive nupta, sive innupta sit, bona sua mobilia acquisita cum consensu heredum & tutorum recte donat; vidua vero, solo curatoris consensu adhibito, hoc facere potest, inconsultis quidem suis heredibus; e contrario autem hanc donationem coram Senatu vel ejus Deputatis perficere debet, uti hæc omnia ita dispositа sunt *a.* 4. *l.* 1. *t.* 9.

II. Jam quæritur: An feminæ mercatrici major facultas de bonis suis acquisitis inter vivos disponendi, quam aliis mulieribus attribui possit. Volunt hoc colligere ex *a.* 1. *l.* 1. *t.* 10. ubi dicitur: *Ausserhalb derer welche Kauffmannschafft, Handel und Wandel treiben, was dieselben geloben, müssen sie gelten und bezahlen.* Sed non video, quomodo hic ab alienatione & fidejussione ex causa mercaturæ, de qua d. a. loquitur, ad donationem, quæ nihil ad mercaturam attinet, argumentari liceat. Omnis prærogativa, quam negotiatrix habet, ad mercaturam restringitur, & extra eam nulla est, nisi expresse aliud cautum sit, uti in Jure Lub. qua testamenti factionem mercatrici sub certis conditionibus testandi facultas conceditur; de donatione inter vivos autem ne verbum quidem extat. Concludendum igitur, quod femina mercatrix hoc jure non magis quam alia mulier de bonis suis acquisitis per donationem inter vivos aliquid alienare possit, præsertim cum majus inde præjudicium, quam ex testamento, illi immineat.

Th. XVI.

Ex Jure Lubecensi Feminæ Mercatrici cum curatorum & heredum suorum consensu testamenti

ti condendi facultas competit, reliquis vero mulieribus id non licet, excepto casu, quando maritus prædefunctus uxori suæ bona quædam in testamento cum potestate testandi concessit.

I. De Jure Civili juniori tam feminis, quam masculis testamenti factionem competere, satis manifestum est. Cur autem Jus Lub. mulieribus hanc libertatem plane denegaverit, varias rationes afferunt, quæ partim ipsius mulieris commodum & favorem respicere dicuntur. Nimirum hæc prohibitio fit inde, 1) quia femina hoc jure in perpetua curatela existit, & sine curatore nihil efficacitur agere valet. 2) Quia nihil acquirere posse præsumitur, sed omnia, quæ possidet, hæreditaria esse existimantur. 3) Quia imbecillioris judicii & boni consilii expers esse creditur, ita, ut multis captionibus obnoxia sit, maxime cum facile mortis cogitatione perturbatur. 4) Quia licentia de bonis suis pro lubitu disponendi sæpe occasionem vires patrimonii debilitandi præbet, ita ut integris familiis & commerciis hoc magno præjudicio & detrimento esse possit.

II. Quicquid sit, quoniam ultimæ voluntates a legis arbitrio dependent, valet statutum, quod publicam utilitatem privatorum commodo præfert & licentiam testandi, certos illi modos præscribendo, aliquantum restringit. Sed non ubique cum Jure Lub. hæc ejus dispositio recepta est, plurimis enim in locis, extra Lubecam, feminis libera testandi facultas, etiam sine mariti, curatoris & consanguineorum, consensu relinquitur. De Rostochio, Stralsundio, & aliis Pomeraniæ civitatibus hoc testatur MEVIVS. Ille non minus affirmat, quod prohibitio Juris Lub. de testamentis conjugum reciprocis in iisdem locis nunquam ad observantiam pervenerit. Id quod etiam in civitatibus Holsaticis Jure Lubecensium alias utentibus ob-

servare mihi licuit. An autem a fide solius Mevii de non-usu Juris Lubecensis locali tuto concludi queat, quæstio est altioris indaginis.

III. Sed dispiciendum est, sub quibus conditionibus Jus Lub. feminæ mercatrici testandi facultatem concedat. Textus habet: *Wære sie aber eine Kauf-Frau und also vor dem Rath gezeuget so mag sie ein Testament machen, von ihrem vvohlgevvonnenem Gute, doch mit ihrer Vormünder und nechsten Erben Bevvilligung. l. 2. t. 1. a. 14.* Causa movens, quare feminæ mercatrici hic major potestas conceditur, quam aliis mulieribus, videtur nulla alia esse, quam quod talis negotiatrix bona, sua industria acquisita, habere præsumitur, qualis præsumtio in aliis deficit, quorum bona regulariter hereditaria esse putantur. Deinde etiam, quod mercatrix per rerum experientiam magis exercitata debitæ circumspectionis atque moderationis præsumtionem facit.

IV. Nihilominus tamen certa requisita illi observanda sunt, & quidem 1.) Ut coram Senatu se mercatricem approbet. 2.) Ut tantummodo de bonis acquisitis disponat. 3.) Ut hoc fiat cum consensu curatoris & proximorum heredum. De primo requisito jam supra dictum est. Secundum quod attinet, intelliguntur in Stat. Lub. sub voce: *vvohlgevvonnener Güter*, hujusmodi bona, quæ quis sua industria & labore comparavit, aut quæ illi quocunque alio modo licito, e. gr. ex donatione, legato &c. obvenerunt, mobilia & immobilia. In praxi juris communis bona in dubio potius hereditaria quam acquisita præsumi volunt, *DD. all.* a MEVIO *ad art. mox cit.* sed de Jure Lub. in dubio pro acquisitis habenda, donec probetur contrarium, ob verba legis: *Alles ist nach Lübischem Rechte vvohlgevvonnen Gut, vvas kein Erbgut ist. l. 1. t. 10. a. 6.* Unde hæc verba textus contra criticos facile vindicantur, idem enim est, ac si legeremus: *Alles ist nach der Vermuthung des Lübschen Rechts vvohl-*

vvohlgevvonnen Gut, vvovon nicht der Gegentheil ervveiſet, das es Erbgut ſey. Et de his omnibus femina mercatrix licite teſtari poteſt.

V. Tertium requiſitum, a femina Mercatrice in teſtamento obſervandum, eſt, ut curatoris & proximorum heredum conſenſum adhibeat. In multis locis, ubi alias Jus Lub. receptum, e. gr, Roſtochii, Stralſundii & in aliis Pomeraniæ civitatibus, a feminis in ultima voluntate, nullus curator, multo minus conſenſus heredum requiritur, & teſtamenta ideo non vitiantur. Vid. B. HELVIGII *diſſ. de Juris Lub. non-uſu in civitatibus Pomer. Sect. II.* Vbi vero contraria conſuetudine huic diſpoſitioni derogatum non eſt, curator & heredes ad actum teſtandi rogari debent. Equidem non requiritur curatoris conſenſus, ut teſtandi facultas inde robur ſuum accipiat, aut, ut mulier nihil de bonis ſuis perdat, utpote quæ poſt mortem nullis amplius indiget; ſed, quia juris non adeo perita cenſetur, ut contra formalia & reliqua juris capita non impingat, proſpicere debet, ut teſtamento modo legali condito lites deſuper præſcindantur. Heredes autem advocandi ſunt, quia ſpem futuræ ſucceſſionis habent, & quia de eorum præjudicio & ſperato hereditatis lucro agitur. Horum nomine veniunt proximi ab inteſtato, qui habiles ſunt, ad auctoritatem & conſenſum præſtandum. Excluduntur feminæ, pupilli, minores, illegitimi, (qui per ſtatutum ſuccedere non poſſunt,) & illi, qui, propriam utilitatem reſpicientes, conſenſum denegare & teſtandi libertatem impedire conantur.

VI) Quodſi vero proximi heredes citra juſtam cauſam conſenſum dare recuſent, tunc judex adeundus eſt, qui, cauſa cognita, ſi juſta diſſentiendi ratio nulla apparet, non expectato conſenſu, teſtandi licentiam concedat. Juſtae diſſentiendi cauſae eſſe poſſunt, ſi ipſi heredes ab

inteſtato egeni, & alter inſtituendus indignus ſit. Ceterum perinde eſt, utrum quis Jur. Lub. in loco, ubi hoc jus receptum eſt, aut Jure Civ. coram ſeptem teſtibus teſtari velit, id quod evictum dedit citata ſub meo Dn. PRAESIDE *habita diſſ. de legitima collateralium p.* 28. Illud fit coram duobus ſenatoribus ad hunc actum miſſis. In caſu neceſſitatis, ubi Senatores in tempore adeſſe non poſſunt, etiam coram duobus civibus poſſeſſionatis, actum teſtandi perficere licet, modo teſtamenti quantitas hoc caſu triginta marcas argenti non excedat. Diſpoſitionem inter liberos quaevis mulier, etiam ſola, ſine curatore & propinquis heredibus facere poteſt.

THES. XVII.

Mutuo a Femina Mercatrice contracto, litterarum obligatio, uti & pignoris & hypothecae conſtitutio ex ſola ejus ſubſcriptione ſatis roboris accipiunt.

I) Saepius accidere ſolet in commerciorum tractatione, ut quae nominibus ſunt, ſtato tempore non exſolvantur, ſed arca exhauſta pecuniam apud alios quaerere neceſſe ſit. Hanc, ut eo facilius inveniat mercatrix, auctoritate indiget valide obligandi ſe & bona in ſecuritatem creditoris oppignerandi. Conceſſa igitur facultate negotiandi, ſimul etiam ea fides & auctoritas conceſſa videtur, quae ad hunc finem neceſſaria eſt, ut inſtar virorum omnia licite agere & expedire poſſit. Cauſam debendi in hujuſmodi mercatorum chirographo debere exprimi, manifeſti juris eſt, & ita quoque multis in locis expreſſe ſtatutum reperitur. De conſuetudine tamen plerumque aliud obtinet, & quibusdam in locis, uti Hamburgi, Antwerpiae, &c. mercatorum obligationes etiam ſine cauſae mentione ipſis ſtatutis approbantur, uti refert LAVTERB. *d. d. §.* 120.

II.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0036
DFG

II) Non ſolum autem mobilia ſua pignori ſupponere, ſed & immobilia hypothecae dare poteſt mercatrix femina. Vid. MARQVARD *de Jure Mercat. l.* 1. *c.* 12. *n.* 11. Hoc etiam in Saxonia procedit, licet hypotheca rerum immobilium ibi non niſi in judicio conſtituatur, mulier vero absque curatore in judicio verſari nequeat: Volens enim conſtituere hypothecam, non neceſſe habet perſonaliter in judicio comparere, ſed poteſt conſenſum Magiſtratus ſuper hypotheca bonorum ſuorum immobilium etiam in ſcriptis impetrare, uti docet CARPZ. *in Juriſpr. For. p.* 2. *c.* 15. *def.* 16.

III) In iis locis, ubi obſtagium adhuc in uſu eſt, nullum eſt dubium, quin negotiatrix pecuniam mutuo ſumens, ſi res ita poſtulet, ſe ſub hoc vinculo firmiter obſtringere poſſit, adeo, ut in caſu deficientis ſolutionis, factaque denuntiatione, de obſtagio ſervando, ad illius ingreſſum teneatur, nec exceptione, quod curatorem non adhibuerit ab hac obligatione ſe liberare queat.

Thes. XIIX.

Poteſt Femina Mercatrix nomina, jura & actiones ſibi emendo comparare, & aliis vendendo cum omni juris effectu cedere.

I) Cum ejusmodi contractus etiam ad commercia tendan- & brevitatis ſtudio frequenter adhiberi ſoleant: femina mercatrix eos quoque celebrare & ceſſionis inſtrumenta deſuper dare & ſine curatore valide ſubſcribere poteſt. Legem Anaſtaſianam inter mercatores non ita praeciſe obſervari, quotidiana experientia docet, dum uſus & fori indulgentia in favorem liberae negotiationis hic aliquid conniveant: *Confer. Marq. l.* 2. *c.* 15. *n.* 10. ubi etiam allegat Conſt.

Const. Elect. IO. GEORGII de An. 1614. quae in materia cessionis mercatoribus favet, verbis: *Allein Kaufleute ausgenommen, wann sie mit einander unter sich handeln; Die an diese Ordnung, damit den Commerciis ihr starcker Lauff gelassen, nicht verbunden.*

THES. XIX.

Nihil obstat, quo minus Femina Mercatrix litteras cambiales tam proprias dare, quam alienas trassare, indossare, & acceptare queat, ita ut firmiter inde obstringatur.

Nititur hoc assertum eodem principio, quod mulier omnia, quae ad genus mercaturae attinent, virorum instar licite peragere possit. Valide igitur ex litteris cambialibus, quicquid earum intuitu stylo mercatorio convenienter agat, obligatur, nec beneficio SCt. Vellej. utitur, licet illi non renunciaverit, nec de eo certiorata fuerit, sed omnem hujus juris rigorem experiri debet. FRANCK. *in institut. cambial. l. 1. s. 1. t. 9. §. 9.* Et hoc ubique locorum, ubi commercia florent, ita observatur, nisi aliter hoc vel illo loco expresse cautum sit. In Saxonia extat Extensio Rescripti Nundinalis de An. 1674. ubi ita statuitur: *Daß auch wider die Weibs-Personen welche Kaufmannschafft treiben nach dem Wechsel-Stylo zu verfahren, so bleibet es dabey auch inskünfftige, jedoch mit dieser Erklärung, daß wenn eine ledige, oder auch verehlichte Weibs-Person, welche ihre eigene, und zwar so viel die Ehevveiber anlanget, vor sich ohne ihren Ehemann, absonderliche Handlung führet, in ihrem eigenen Nahmen einen Wechsel-Brief ausgegeben, ob es gleich ohne Vollvvort, Autorität und Einvvilligung ihres ehlichen oder andern Curatoren, auch ohne vorgegangene Erinnerung ihrer Weiblichen Privilegien und Rechts-Wohlthaten geschehen, dennoch vvider sie nach Innhalt obangezogenen*

zogenen Marckt-Reſcript verfahren vverden ſolle. Nec inde liberatur mulier, utut tempore ſolutionis negotiari deſierit: ſufficit, eam tempore conſtitutae obligationis cambialis mercaturam exercuiſſe, ſemper enim, quando de obligatione quaeritur, temporis contractus ratio habenda eſt. *Conf. LVD. VVechſel-Proceſſ. c. 1. §. 13.*

II. De aliis contractuum generibus, quae ad feminam mercatricem ſpeciatim non attinent, ſed ſimul etiam ad viros mercatores ſpectant, ut: contractus aſſecurationis, expromiſſionis, delegationis, ſocietatis, &c. non opus eſt hic multa addere, cum haec omnia non hujus loci ſint, ſed a ſcriptoribus aliis alibi jam fuſius explicata inveniantur.

THES. XX.

Libro rationum a Femina Mercatrice conſcripto non minor fides habenda eſt, quam aliorum Mercatorum codicibus, modo debitis requiſitis conſtet.

I. De Jure Civili liber mercatorius tanquam privata ſcriptura pro ſcribente nihil probaret; de conſuetudine autem ſemiplenam inducit probationem, ſi alias neceſſariis requiſitis inſtructus deprehendatur. Haec ſunt: ut ipſe ſcribens ſit bonae famae; nomen ejus & inſcriptio in fronte conſpiciatur; diem & cauſam contineat; paginas numeratas habeat; & data acceptaque juxta ſe poſita ſint. De cetero nihil refert, vir ſit an femina, qui ſcripſit, nam & huic cum aliis mercatorum juribus id tribuendum eſſe, Lubecae judicatum refert MEV. *ad Jur. L. l. 5. t. 6. a. 4. n. 5.* Vid. omnino *Exell. Dn. D. KROHN,*

Senatoris Reip. Lubec. meritiſſimi, Fautoris noſtri venerandi, elegans diſſertatio inaug. ſub Praeſ. magni ICti B. KLEINII heic Roſt. 1698. *hab. de prob. quae fit per libros mercat. C. 1. n.* 147. An autem liber mercatorius ipſius mercatoris vel mercatricis manu ſcribendus ſit, vel alterius ope hoc fieri poſſit, a nonnullis quaeritur. Quia autem neque de jure neque de conſuetudine propria manus requiritur, in praxi nihil refert, utrum ab ipſo mercatore vel ab alio conſcriptus ſit: Quicquid enim in tali libro penes mercatorem exiſtente relatum legitur, id omne ejus conſenſu & voluntate ſcriptum praeſumi, niſi probetur contrarium, recte judicat STRACCH. *de mercat. p. 2. n. 65.* quod tamen ad manuale vel adverſaria extendendum non eſt, quia haec facile mutari & contraſcribi poſſunt, LAVT. *in d. d.* §. 299.

II. Plerumque huic libro ſemiplena probatio attribuitur, ut credatur illi per juramentum ſuppletorium, ſic Venetiis, in Belgio, Norimbergae, Hamburgi, ſtatutum. Alibi plena fides illi habetur, uti de Gallia, Italia, Neapoli, & Polonia refertur. Idem quoque Jure Lubecenſi aliquatenus ſtatuitur. *l. 5. t. 6. a. 4.* vi cujus liber mercatorius usque ad triginta marcas Lub. plenam probationem facit; quoad ſummam excedentem vero ſemiplenam uſus obſervat.

THES. XXI.

Femina Mercatrix pro aliis, ex cauſa mercaturae, intercedens efficaciter ſe obligat.

I. De Jure Civili conſtat, feminis per Senat. Conſult. Vell. hoc favorabile privilegium datum eſſe, ne fidem ſuam pro aliis interponendo cum effectu exinde conveniri poſſint; pro maritis autem beneficio Auth. ſi qua mulier, ex

ſuis

ſuis interceſſionibus nullatenus teneri, cui poſteriori juris beneficio nequidem valide renuntiari poterat. Hodiernis tamen moribus utrique beneficio ſub certis requiſitis valide renunciatur.

II. Haec autem aliter ſe habent in fem. merc. utpote quae in omnibus ad mercaturam ſpectantibus, tam pro aliis, quam pro marito, ſine curatore & renunciatione beneficiorum muliebrium, fidem ſuam interponere poteſt. Quoad Saxoniam in praedicta Extenſ. Refer. Nund. ita ſtatuitur: *VVelches denn auch krafft dieſes dahin erſtrecket vvird, daſs eine ſolche Frau, vvelche vvie jetztgemeldet ihre eigene Handlung treibet, in Handels-Sachen vor einen andern ſich verbürgen und gut ſagen und dawider das Senat. Conſult. Vell. ob ſie gleich deſſen zuvor nicht erinnert, auch demſelben von ihr nicht renunciiret vvorden, nicht vorſchützen kœnne, ſondern dasjenige, vvozu ſie ſich verbindlich gemacht, genau zu erfüllen, und zu zahlen ſoll angehalten vverden.* Cui congruit *Jus Lub. ita diſponens: VVird ein Mann vvegen Schuld flüchtig &c. es vvaere dann, daſs die Frau mit gelobet, vvelches doch dahin zu verſtehen, vvann ſie eine Kauf-Frau gevveſen, oder ihrer Fraeulichen Gerechtigkeit erinnert, und ſich derſelben verziehen, ſo muſs ſie mit zahlen helffen. Lib. 1. t. 5. a. 7.* Item: *Es mag keine Frau ihr Gut verkauffen noch verſetzen, &c. auſſerhalb derer, vvelche Kaufmannſchaft Handel und VVandel treiben, vvas dieſelben geloben, das müſſen ſie gelten und bezahlen, d. l. t. 10. a. 1.* Quo caſu Senat. Conſult. Vell. & Auth. ſi qua mul. licet nulla renuntiatio vel curator acceſſerit, plane ceſſat: Ita enim commerciorum ratio & favor poſtulat, ut femina vel beneficiis ſuis vel virilibus negotiis abſtineat, quorum fide & ſecuritate nititur Respublica.

THES. XXII.

Licet Femina Mercatrix pro alio intercedens ad beneficium Senat. Consult. Vell. provocare non possit; attamen reliqua fidejussorum beneficia de jure non amittit.

I. Oritur hic quaestio: utrum femina mercatrix, fide sua propter mercaturam pro alio interposita, communia fidejussorum beneficia, uti: excussionis, cedendarum actionum &c. salva adhuc atque integra habeat? Affirmat hoc MEVIVS *ad Jus Lub. l.* 1. *t.* 10. *a.* 1. *n.* 80. Vbi asserit, se in actibus judicalibus legisse, mercatrices Lubecenses similes exceptiones praetendentes audiri. Huic se adjungit MARQV. *d. l. l.* 1. *c.* 12. *n.* 24. Alibi tamen laudatus Mevius cum aliis affirmat, hoc beneficium inter mercatores cessare *l.* 3. *t.* 5. *a.* 1. *n.* 9. *seq.* non tam ex iuris praescripto, quam ex fori consuetudine, quam ICti introduxerunt, considerando, tacitam quodammodo renunciationem ob interesse mercatorum praesumendam, inprimis ob utilitatem publicam & praecipuam fidem, quae in illis abundare debet, & sic non secundum juris apices, sed ex aequo & bono inter illos procedendum & pronunciandum esse. Hanc contradictionem conciliare contendit SCHVLTZE *d. d. c.* 2. §. 22. ita, ut posteriorem assertionem ad forum & judicium mercatorum restringat, quia laudatus Auctor suam sententiam statim subsequenti num. 11. limitare videtur, dum addit: *modo ipse fidejussor mercator sit, & in foro mercatorum conveniatur.* Sed hoc totam rem nondum conficit. Ipse Mevius posteriori loco distinguit, inter jus & consuetudinem, quae quovis loco ante omnia inspicienda erit.

THES.

THES. XXIII.

Communis negotiatio inter conjuges pacto initur, vel expresso, vel tacito, & communicationem lucri & damni requirit.

I. Mariti mercatoris uxor non praesumitur ejus socia ex eo, quod in taberna sedet, mercesque vendit: nam ad hujusmodi operas jam citra specialem conventionem obstricta est; sed requiritur, ut particeps lucri & damni sit, vel pecuniam suam ad negotiationem ea lege conferat, nam sine parte lucri societas coiri nequit. Vt igitur mercatoris uxor illius socia sit, opus est conventione, vel expressa, vel tacita, qua non accedente omnis quaestus ad maritum pertinet, qui opera uxoris non tanquam sociae, sed ut institricis usus esse censetur; pacto autem interveniente de lucro & damno, vel aequis vel certis partibus communicando, certissime constat, societatem mercatoriam inter conjuges esse constitutam.

II. Quæritur: An necesse sit palam declarare, quid inter maritum & uxorem ratione negotiationis pactum vel conventum fuerit? Respond. negando: quilibet enim cum altero contrahere volens in ejus qualitatem & conditionem inquirere, aut damnum quod sua negligentia vel culpa sentit, sibi imputare debet. Regulariter vero, quando uxor in taberna sedens merces vendit, maritus ex eo, quod hoc ita patitur, communem cum illa negotiationem exercere haud censetur, consequenter tali casu uxor marito acquirit, & maritum quoque principaliter obligat, ipsa autem beneficio SCt. Vellej. & auth. si qua mulier, uti potest.

III. Ad probandum, uxorem cum marito communem negotiationem gerere vel gesisse, non sufficit falsa mulieris confessio, licet in scriptis facta sit, inprimis si creditor scivit, aut scire tamen facile potuit, maritum solum negotiari & uxoris confessionem de communi mercatura tantum dicis causa instrumento inseri. Vid. Dn. LEYSER. *Medit. ad ff. Spec. III. n. 6.* ubi casum refert, & feminam Responso Fac. Helmstad. absolutam esse testatur, ibi: *Et mag der Frauen nicht zugemuthet werden, das ihrige zu Befriedigung der andern Glæubiger mit herzugeben. Zwar hat sie einige von ihrem Mann ausgestellte Obligationes mit unterschrieben, und zugleich darinnen, dass sie mit ihm einen gemeinen Handel führe, bekannt. Alldieweil aber die vorkommende Vmbstænde deutlich ergeben, dass der Handel den Mann allein angegangen, und die Frau demselben nur nach Art der Eheweiber adsistiret, und kein Theil an dem lucro genommen, demnach keine Handels-Consortin gewesen, folglich rei veritas mehr als die in die Obligation unbedachtsahm eingeflossene Worte: in unsern gemeinschafftl. Handel, angesehen werden muss; So haben wir sie von den Ansprüchen der übrigen Glæubiger entbunden.* Sed eum, qui in hac mulieris qualitate se fundat, demonstrare oportet, quod talis uxor lucri particeps & negotiatio utriusque nomine expedita fuerit. Huc etiam facit, inscriptio libri mercatorii & rationum, quando ea scilicet communi nomine facta esse deprehenditur.

Thes. XXIV.

Ex communi conjugum negotiatione mutua nascitur obligatio, ita, ut maritus uxorem, & uxor maritum ex suo contractu obliget, & alter alterius debita solvere teneatur.

I. Ju-

I. Iure Naturali & Civili nemo conjugum alterius debita ſolvere cogitur. Sed ob favorem commerciorum apud varias Gentes, inprimis etiam apud Germanos, connubialis bonorum communio & cum ea ſimul conſuetudo introducta eſt, ut mariti æs alienum ab uxore, pro diverſa communionis qualitate, vel in totum, vel pro certa bonorum parte, quæ in communionem venit, exſolvendum ſit. Fluit quodammodo hæc obligatio ex natura ſocietatis conjugalis, quæ non ita felix atque beata eſſe poteſt, ſi bonorum diſtinctio & ſeparatio lites ſerit ac fovet, & arctius vitæ conſortium veramque animorum conjunctionem impedit. Nec mulier habet, de quo conqueratur, ſi ex ſtatuto vel pacto ſocietatem bonorum cum marito ſuo contrahat, & hinc obligetur ad debita mariti exſolvenda: dependet enim hoc negotium a futuro incerto eventu, ergo nulla læſio allegari poteſt. *L. unica C. ut nullus ex vican.* intelligenda eſt de caſu, ſi quis ſine ullo ſuo conſenſu expreſſo & tacito pro alio obligetur; verum uxor in hoc noſtro caſu non eſt habenda pro ea, quæ plane non conſenſerit, dum enim matrimonium init, & a ſacerdote in B. S. percipit, conjuges ſibi poſthac utriusque fortunæ fore ſocios, & ſcit vel ſcire poteſt, in eo loco inter conjuges veram communionem bonorum induci, non poterit conqueri, ſe ſine ullo ſuo conſenſu obligari. VEDELER. *de Oblig. ux. ob æs alien. mar.* Laudantur igitur Statuta & ab omni iniquitatis injuria vindicantur, quæ utilitatis publicæ & commerciorum ſecuritatis gratia hanc bonorum communionem inter conjuges, indeque deſcendentem obligationem tanquam reipublicæ ſalutarem ipſisque civibus proficuam publice approbant.

II. Plerumque tamen non æque maritus pro ære alieno uxoris, quam hæc pro illius debitis adſtringitur, & quidem non ſine ratione, quia regulariter majorem curam, labo-

laborem & operam in hac ſocietate præſtat; indeque, in compenſationem moleſtiæ, ulteriori obligatione pro uxore non onerari debet, ſed omnem acquæſtum, conſtante matrimonio factum, ſibi potius vindicat, niſi expreſſe in Statutis aliter præſcriptum. Nec obſtat argumentum ex *l. fin. C. de ind. vid. toll.* quod conſtituta in uxoribus ad maritos etiam porrigi ſoleant, quia diverſitatis ratio hic ſatis elucet. *Conf.* MEV. *ad Jus Lub. l.* 1. *t.* 5. *a.* 7. *n.* 88. *& ſeq.*

III. Vlterius progreditur hæc mutua conjugum obligatio in communi commerciorum exercitio, ubi tam maritus quam uxor jure ſocietatis mercatoriæ omnia debita occaſione negotiationis contracta ex bonis communibus ſolvere debet, nullo diſcrimine habito, an caſu vel culpa alterutrius facta, modo propter mercaturam conflata ſint, id quod in dubio ſemper præſumitur. Et quidem uxor tanquam correa debendi pro marito tenetur, quia lucri partem fert, & a mariti rationibus eam ſeparatam ſibi acquirit. Hinc neque SCt. Vellej. beneficio vel Auth. Si qua mul. nec in concurſu creditorum prælationis jure gaudet, ſed tenetur ut ſocia, tam de jure civili, quam de conſuetudine fere univerſali. Creditum quoque a marito acceptum in ejus utilitatem verſum eſſe cenſetur, GAIL. 2. *obſ.* 90. *n.* 5. Simili modo maritus pro uxore ex contractu ejus obligatur; niſi forſitan negotiationis fines excedens uxor aliud quid geſſerit, quam quod ad mercaturam ſpectat, quo caſu maritus non obſtringitur.

IV. Interdum etiam ſocietas univerſalis omnium bonorum inter conjuges initur. De Jure Civili ſocios omnium bonorum in ſolidum teneri, ſunt qui dubitant. Ex Juris Lub. diſpoſitione autem patet, eos omnino tanquam correos credendi & debendi in ſolidum acquirere & obliga-

ri

ri. *l.* 3. *t.* 9. *a.* 5. verbis: *Was der eine kaufft, muſs der ander zahlen.* Nec intereſt, an unus eorum ſuo nomine, an ſub mentione ſocietatis ſe obligaverit. Contra extraneum debitorem beneficium competentiæ allegare non poſſunt. MEV. *ad. d. a. n.* 17.

V. Denique femina mercatrix præter maritum etiam cum aliis communem mercaturam exercere poteſt. Contractus ſocietatis eſt Juris Gentium, quem etiam de Jure Civili omnibus inire licet. STRACCH. *de merc. p.* 2. *n.* 50. Sed Jus Lub. hanc ſocietatis contrahendi licentiam reſtringit, dum *l.* 3. *t.* 9. *a.* 2. eam non niſi cum civibus Anſeaticis inire, eosque ſolos etiam factores habere permittit, cujus rei rationes affert MEV. *d. l. n.* 3. *ſeq.*

THES. XXV.

Feminae Mercatrici, quæ non ſuo, ſed fortunæ vitio, propter inſignem calamitatem ſolvendo non eſt, beneficium ceſſionis competit.

I. Qui præter dolum & culpam ſuam ad egeſtatem deveniunt, & non poſſunt ſatisfacere ſuis creditoribus magno ære alieno oppreſſi, liberantur bonorum ceſſione, quod non minus ſalutare quam flebile beneficium Jure Civili introductum eſt, in gratiam eorum, qui caſu vel infortunio bonis lapſi ſunt, ne carceris ſqualore opprimantur. De mulieribus in ſpecie cautum eſt, ne ob debita civilia incarcerari debeant, hinc alii inferre volunt, quod nec bonis quoque cedere cogi poſſint. Sed hoc hodie locum non invenit, poſtquam uſu & ſtatutis locorum aliud cautum reperitur. In ſpecie Jure Lub. creditoribus conceditur etiam mulieres ob propria debita, quibus & ea, quæ intercedendo in fidem ſuam receperunt, continentur, uſque ad carcerem proſequi, per *a.* 1. *l.* 1. *t.* 3. ubi in fine ita diſponitur: *Sonſten aber mægen die erſten zwey Mittel*, puta incarceratio & bonorum diſtractio, *vvider Frauens-Perſohnen, vvelche ihrer eigenen Schuld halben vertiefft, gebraucht vverden.* Quod tamen

maxime de iis accipiendum esse puto, quæ molliter & luxuriose viventes, bona sua dilapidarunt, nam cum aliis, qui non tam sua culpa, quam adversa fortuna majus æs alienum contraxere, quam quod exsolvere valent, plerumque mitius agitur: Hoc tamen exinde colligere licebit, quod mulier, ad inopiam redacta, ad minimum a bonorum cessione non sit exemta, & hoc eo magis de negotiatrice dicendum erit: Publice enim interest, fidem ubique sartam tectam servare, ne comercia diminutionem patiantur, sed eo tutius atque felicius exerceri queant.

II. Est autem hoc flebile cessionis beneficium commune asylum calamitatis, & nemini facile denegatur, nisi illis, qui dolo & culpa decoquunt. Interdum etiam exteri jure talionis excluduntur, quoniam in Gallia, Genuæ, Brixiæ, etiam in Saxonia, nostratibus hoc juris remedium concedere nolunt. Regulariter autem afflictis non est addenda afflictio, sed humanitas postulat, casum quem quis ex improviso experitur, dolere, immo, si publicam utilitatem antea pro viribus promovere sedulo occupatus fuerit, & nulla spes superfit, ut proprio Marte emergat, vitam honeste sustentandi occasionem suppeditare, ut ille, qui publicum commodum olim provehere studebat, publico auxilio nunc iterum sublevetur.

III. Excutiuntur cedentes ad peram & baculum, & nihil illis de bonis subtrahere aut retinere licet, nisi vestimenta quotidiana & stratum quoddam, quo cubare possint. Quo facto debitores quidem ab instanti creditorum impetu, non autem ab omni obligatione penitus liberantur, siquidem actio non extinguitur, sed rursus intentari potest, simulac ad pinguiorem fortunam redierint. Liberantur etiam a carcere, arresto, obstagio (vide tamen de hoc infra) & ab omni afflictione, quæ ad corporis molestias tendit. MEV. *ad J. L. l.* 1. *t.* 4. *a.* 1. *n.* 155. & GAIL. 2. *obs.* 45. *n.* 6. Nisi in uno vel altero loco specialis constitutio

tio in contrarium extet, uti in Ducatu Meckl. per Conſt. Seren. Princip. ceſſio bonorum non impedire dicitur, quo minus carceris pœna quoque accedat, teſtante SIBRANDO *Cent.* 1. *Differ. Jur. Civ. & Lub. Antith.* 72. quod tamen magis de fraudulentis decoctoribus accipiendum eſſe velim. Idem quoque Jure Lub. ſtatutum deprehenditur, *l.* 1. *t.* 3. *a.* 1. Nec Statuto Hamb. debitor ceſſione bonorum facta a carcere immunis eſt, ſed creditore petente ad cuſtodiam ducitur, *auf den Winſerbaum*, *per art.* 11. p. 1. *t.* 41. Quodſi vero creditor impenſis parcat (quotidie enim unicum aſſem ad debitoris alimentationem dare debet, *per art. alleg.*) & nihilominus debitori condonare nolit, tunc illum adigere poteſt, ut, juramento paupertatis praeſtito, tam diu ab urbe exulet, donec ſatisfecerit. *ibid. a.* 13. *Würde aber der Glaeubiger &c.* Sic etiam, quoad obſtagium in Holſatia, quotidiana experientia edoctus ſum, debitores ab illo per ceſſionem bonorum minime liberari. Legantur ſcripta FRICCIO-AMTHORIANA ſatis inclyta.

IV. Ceterum nullam maculam incurrunt, quibus ita ob infortunium bonis cedendum eſt, quia juris beneficio utuntur, quod non infamat. *Vid. Rec. Imp.* 1548. *t.* 22. Nec impedit ceſſio, quo minus quis iterum ad mercaturam reverti queat: jus enim mercaturae exercendæ per ceſſionem non amittitur, *arg.* §. 5 *Inſt. de ſociet.* niſi quis ſuo vitio decoxerit, & in ipſa decoctione fraudem admiſerit. STRACCH. *tr. de mercat. p.* 3. *n.* 36. Repeti etiam poteſt beneficium ceſſionis, quoties caſus hoc exigit, & tunc creditores prioris ceſſionis, in tantum, quantum facere poteſt debitor, poſterioribus praeferuntur. BRVNN. *de ceſſ. bonor. quaeſt.* 10.

V. Liceat adjicere quaedam de quaſi ceſſione, qua mulier bona mariti creditoribus tradendo ab ejus debitis ſe liberat, Jure Lub. requiritur, ut praemortuo marito, qui ſolvendo non eſt, vidua, curatorem ſibi dare petat, & infra ſex men-

menses domo bonisque cedat, tunica saltem & palla mediocri retenta, *muss Hauss, Erbe und Güter mit einem Rock und Heucken, nicht dem besten, auch nicht dem ærgsten, raumen. l. 3. t. 1. a. 10.* Alibi aliae solemnitates in usu sunt. Sic e. gr, in Flandria sepulcro mariti claves in signum cessionis superponuntur, quod dicitur: *Jetter la clef sur la Fosse. REBH. d. d. §. 18.* In Burgundia mulier nobilis hanc renunciationem facere tenetur in praesentia judicis aut Notarii & testium, prius quam corpus defuncti mariti e domo educatur, vel si non est in loco, intra 24 horas, postquam mariti mors ipsi innotuerit. Vide Consuet. Ducat. Burgund. fereque totius Galliae ap. CHASSENÆVM *Tit. Des droits & appartenances à gens mariés §. 20.* Vbi de muliere ignobili §. 21. ita disponitur: *Entre toutes autres gens, si la femme veut demeurer quitte & dechargeé de payer la moitié des dicts dettes de son mari & d' elle, & qu' elle ne se veuille entremettre és bien de son dit mari, elle sera tenue de soi desceindre, & laisser la ceinture sur la fosse de son mari, si elle est au lieu où il sera trepassé, & si elle n'y est, ou qu' elle a empechement legitime & notoire, tellement qu' elle ne puisse venir au lieu où son mari est inhumé, dedans 24 heures, elle sera tenu de soi desceindre, & faire renonciation ausdits biens de son mari, au lieu auquel elle sera, en la presence du juge du lieu, ou du notaire & des tesmoings dedans 24 heures apres que le trespas de sondict mari sera venu a sa cognoissance &c.*

VI. De fraudulentis decoctoribus, bancofallitis & aliis, qui circa mercaturam in defraudatione vectigalium depravatione & falsificatione mercium, ponderum & mensurarum delinquunt, nihil addo, partim quia non sunt hujus loci, nec ad feminam mercatricem specialiter pertinent, partim, quoniam haec talia jam fusius ab aliis fuerunt pertractata. Haec sunt, quae impraesentiarum de Femina Mercatrice praecipue adhuc dicenda videbantur, quae Candidus Lector pro instituti & temporis ratione benigne aestimare velit.

SOLI DEO GLORIA! PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DN. TONNAGEL,

CANDIDATO ET AMICO SVO CANDIDISSIMO,

SALVTEM PLVRIMAM DICIT

PRAESES ET BRABEVTA.

Salutem Tibi VIR DOCTISSIME! dico, & quidem plurimam: Tibi inquam, Candidato meo, Tibi Amico, & quidem candidiſſimo. Quidni enim viro, a juris ſcientia laudatiſſimo, ſalutem omnigenam apprecarer. Qui nomine Juriſconſulti Rempublicam & fortunas clientum magis corrumpunt, quam promovent, aut mores mutare aut perire meo voto deberent: Qui autem non cruda ſtudia in fora protrudunt, ſed vere eruditi ſunt: qui acumine eruditionis non viperæ fiunt, ſed rem & punctum juris acu tangunt, vivant & ſalute proſperrimisque fatis merito fruantur. Candidiſſimum Te autem *Amice ſuaviſſime!* adpello, quia non es niger, qualem Romanus atque Germanus cavendum habet. Tribus: Extant Ordini meo documenta eruditionis. Exſtabunt eadem univerſo Auditorio, diſſertationis inauguralis defenſionem benevole auſcultaturo. Extant mihi ſingularis amicitiæ ſpecimina, qualia viciſſim, ſi poſſem, totus conferrem. Redi igitur *Vir clariſſime!* in alteram patriam, illuſtriſſimam LVBECAM, in illam Rempublicam, quam ſubmiſſe veneror cujusque PATRES CONSCRIPTOS, Juſtitiæ Antiſtites & bonorum virorum Promotores, reverenter colo, ſuccedant tibi omnia proſperrime. Teſtatur tua diſputatio inauguralis, *de Femina Mercatrice*, quod tu, juris

juris communis scientiae, ceu foro singulari nomen dantes decet, feliciter junxeris, Notitiam Juris Lubecensis. Iudicent alii de illius tui laboris dignitate, mihi, semel eundem perlustranti, totus placuit. Observavi tuam circa illius elaborationem adhibitam industriam, composuisti enim hoc tuum scriptum intra parietes Rostochienses, id quod mihi testantur Doctores allegati, quorum copiam ego, partim ex benevola aliorum concessione, tibi feci. Dicis, te hoc opusculum ulterius polire voluisse, nisi haud praevisa te, proposito citius, Lubecam revocassent; sed commendabit se hicce labor etiam sine curis ulterioribus. Stat sententia: habebis tuarum vigiliarum praemia, Deo clementissime annuente. Vale igitur & amicitiae nostrae nunquam vive immemor. Ego ubique ratam tuae felicitatis, salvo tibi solido, mihi vindicabo & officiosissimus ero. Da veniam verbis deproperatis; Nosti enim & oculatus testis es, quam varia variique me circumstent, circumsedeant, & circumjaceant. Deus assistat in omnibus quam clementissime. Dab. Anno MDCCXLI,
d. 13. Novembris.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0052
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0054
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0056
DFG

juris communis ſcientiae, ceu foro ſingulari nomen dan-
s decet, feliciter junxeris, Notitiam Juris Lubecenſis. Iu-
ent alii de illius tui laboris dignitate, mihi, ſemel eundem
ſtranti, totus placuit. Obſervavi tuam circa illius elaboratio-
lhibitam induſtriam, compoſuiſti enim hoc tuum ſcriptum
ietes Roſtochienſes, id quod mihi teſtantur Doctores alle-
um copiam ego, partim ex benevola aliorum conceſſio-
Dicis, te hoc opuſculum ulterius polire voluiſſe, niſi
te, propoſito citius, Lubecam revocaſſent; ſed com-
e labor etiam ſine curis ulterioribus. Stat ſen-
te rum vigiliarum praemia, Deo clementiſſime an-
nue & amicitiae noſtrae nunquam vive immemor.
Ego u e felicitatis, ſalvo tibi ſolido, mihi vindi-
cabo & o. Da veniam verbis deproperatis; Noſti
enim & o quam varia variique me circumſtent,
circumſed reant. Deus aſſiſtat in omnibus quam
cle b. Anno MDCCXLI.
Novembris.

UB Rostock 051400

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1023557851/phys_0057
DFG